

1750, 4

18

22

FACULTATIS JURIDICÆ

DECANVS

JOH. CHRISTOPHORVS
SPITZ, JCTVS

MEMORATÆ FACULTATIS JVDICIQVE ELECTORALIS
PROVINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLI-
CVS NEC NON CIVITATIS CONSVL

requisitis de conditionum.

L. B. S.

ERFORDIÆ,

Typis JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
ACAD. TYPOGR.



ctiones, prout tertiam objecti juris partem constituunt, varie discescuntur, præcipue autem à causa efficiente sunt vel reales ex jure in re descendentes uti Rei vindicatio, Actio confessoria & negatoria, actio publiciana, pauliana, hypothecaria &c. vel mixtæ, quæ partim ex jure in re, partim ex jure ad rem fluunt, veluti hæreditatis petitio, actio familiæ Hæreiscundæ, communi dividendo ac finium regundorum, aut in rem scriptæ, quæ de se quidem personales sunt, hoc tamen effectu, ut dentur contra quemvis possessorem, a jure superaddito, gaudent, quales sunt actiones quod metus causa, ad exhibendum, noxales, aquæ pluvix arcendæ & de retractu ex consanguinitate; aut personales, quæ ex jure ad rem ortum trahunt, inter quas, ut alias divisiones silentio involvamus, Conditiones quoque recensentur, sub harum tamen specialius sumtarum denominatione istæ solum actiones indignantur, in quibus, si conditio furtiva excipiatur, non dominus adversus Dominum ad dominium in actorem transferendum agit, & quibus aliud nomen in jure non est tributum. Conditiones vero a veterere

re judiciorum More dicuntur, ubi litigaturi certum diem, quo juris experiundi gratia in iudicio adessent, inter se condicebant, inter has, ut ad scopum nostrum propius delabamur, & conditio indebiti numeratur, qua mediante indebitum per errorem solutum repetitur, ad hanc autem cum fundamento juris instituendam & feliciter finiendam requiritur, (1) ut solutum fuerit indebitum tanquam debitum ex causa necessaria, ad quod præstandum, si debitum vere subfuisset, invitus constringi potuisset *L. 52. §. 2. ff. de Cond. indebit.* Alioqui enim, si prædicta causa necessaria non subsit & ex obligatione naturali imperfecta mero alicujus arbitrio relicta solvat, conditio cessat: *ZOES. ad ff. tit. de Condit. indeb. n. 8.* (2) Ut solutio aut datio fuerit præstita ex errore facti *L. 10. C. de jur. & Fact. Ignor.* atque sic is, qui scienter aut per ignorantiam juris solvit, a repetitione excluditur, cum ejus, cujus per errorem dati ex æquitate repetitio est, scienter aut per ignorantiam juris dati sit donatio *HARPRECHT. ad Instit. jur. tit. quib. mod. re contrab. obl. §. 1. n. 53. seqq.* cum hic de rebus amissis recuperandis agatur ubi error juris pro scientia habetur, *COCCEJ. Jus civ. contrav. tit. de condit. indeb. q. 14.* nisi lex ipsa solventibus patrocinetur uti debitoribus immoderatas usuras solventibus, item minorennibus, pupillis, fœminis ac aliis quibus jura ignorare permiffum. *SANDE lib. 3. t. 14. d. 7. BOER. cl. 2. d. 8. Tb. 9.* (3) Ut sit indebitum, nil autem refert, utrum sit indebitum absolute tale, quale est debitum a pupillo absque tutoris auctoritate promiffum, quodque sub conditione suspensiva, aut in diem an tantum, vel an & quando simul incertum debetur, aut secundum quid,

modo tamen sit indebitum naturale, quale est debitum vi metuque vel spe futuræ numerationis promissum, item quod nudo pacto remissum aut juramento nil deberi extinctum est. *L. 43. ff. de condic. indeb. l. 95. §. 4. ff. de solut.* BACHOV. *V. 1. Disp. 22. th. 4.* siue cui perpetua obstat exceptio in favorem debitoris concessa, qualis est is, qui per sententiam Judicis, quæ in rem judicatam transit, absolutus est, hic enim, si id a quo vi sententiæ absolutus ex post errore facti lapsus suo adversario solvat, in foro civili tanquam indebitum condicit, cum in prædicto foro ob favorem litium sopiendarum pro non debitore habeatur *L. 47. ff. de obl. & act.* atque sententia judicis propter utilitatem publicam pro veritate æstimetur, & vim transactionis habeat, nec instrumentis noviter repertis retractari queat *L. 4. C. de Re jud.* exindeque maxime oriantur confusiones, nec non creditoribus quibusvis debitorem inique esse absolutum dicendi, ac propter debitum postea ab ipso contractum compensationem objiciendi, occasio daretur, per quod lites immortales redderentur; quam sententiam tuentur STRUV. *syntag. jur. civ. Exercit. 18. Th. 38.* TREVTL. *ad ff. tit. de condic. indeb. §. 10. lit. a. licet.* LAVTERBACHII *Collegium dict. tit. §. 13. in fin.* diffinit fundans se in *L. 60. pr. ff. d. t.* quoniam enim hæc lex vel de foro interno sumenda, aut de eo casu capienda, quo debitor absolutus ac postea denuo conventus non expectata ulteriori sententia ultro solvit atque sic à re judicata recessit, ita COCCEJ. *Jus civ. contro. dict. tit. g. 11.* quo favore quoque gaudet hæres a quo domus vel alia res per fidei commissum in diem relicta est, si domum hanc antequam dies cesserit ex parte incendio destructam suis im-

impensis restauraverit, & his non deductis eandem fideicommissario tradiderit, p. L. 40. §. 1. ff. de condit. indeb. nec hæc assertio per L. 33. ff. d. t. infringitur, etenim in duobus his textibus plane diversi continentur casus, in hoc siquidem scienter infundo alieno ædificatum, adeoque dominus soli ædificium nactus, nihil indebite accepit, cum, quidquid solo inædificatur, solo cedat, §. 30. Inst. de Rer. divis. in illo vero, cum reparatura, antequam dies fideicommissi cessit, fuerit facta, adhuc est fundus hæredis, hincque debitor speciei, qui re in fideicommissum relicta sine sua culpa aut deteriorata aut perempta non tenebatur. Similiter & uxor id quod ex intercessione pro alio solvit regulariter condicit, filio-familias vero mutuum acceptum solventi hæc Facultas denegatur, quia non in hoc, sicuti in uxore, obligatio naturalis in totum est reprobata & exceptio tantum in odium Foeneratorum data. Uti statuitur in L. 40. ff. de condit. indeb. quam Legem in cathedra fufius explicandam sibi assumpsit

NOBILIS AC CLARISSIMVS

Jurium Candidatus

DN. CHRISTOPH. FRIDER.
MÜLLER

Cujus vitæ curriculum, ut brevibus hic recensatur, Mos ab antiquo constanter receptus efflagitat, Natus est iste Tilledæ in pago prope Francohusam sito 2. Aprilis 1724. Patrem Anno 1726. sub vocatione sua in itinere curru suppressum ac è vivis extinctum in cineribus

X 3

ribus suis veneratur M. CHRISTIANVM MÜLLER, qui dum viveret *Serenissimi Principis ac Ducis Saxonici Leucopetrensis vulgo Weiffenfelsensis; actualis Confessarius, designatus Concionator superior Aulicus, nec non Consiliarius Ecclesiasticus ac Superintendens Eriburgi erat; Matrem adhuc viventem honorat JULIANAM ELISABETHAM natam de ZIEGENHORN, omnibus virtutibus sexui foemino decentibus conspicuam; Avum maternum colit CHRISTOPHORVM FRIDERICVM de ZIEGENHORN quondam Regiæ Majestatis Polon. & Electoris Sax. Colonellum legionis equestris ac Capitaneum equitatus Nobilium provincialium meritissimum nunc pie defunctum; a Matre, ut primis litterarum rudimentis instrueretur, privatis Præceptoribus est traditus, adultior factus circa annum ætatis XIV. paternos lares dimisit, atque sibi scholam Francohusanam elegit, in qua per IV. Annos & quod excurrit sub auspicio Rectoris BORCKII & Conrectoris JÆGERI liberales artes excoluit usque dum Anno MDCCXLIII. Oratione de crudelitate Tyrannorum erga subditos habita publice valedixit, seque ad bonarum artium Matrem Lipsiam contulit, ubi die XV. Octobris ejusdem Anni a Rectore tunc temporis Magnifico, AVGVSTO FRIDERICO MÜLLERO Civitatis academicæ jura impetravit, quo facto præcepta Philosophiæ & Collegii Logico-Practici ex ore MÜLLERI hausit, atque latissimum Jurisprudentiæ campum in Scholis præstantissimorum ac celeberrimorum virorum emensus est, etenim Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ fundamenta explanantem excepit MÜLLERVM, Jus cambiiale dilucidantem adiit SIEGELIVM, Jus publicum & germanicum tradentem audivit GRAMERVM, & præ-*

prælectionibus JOACHIMI, ad juris Institutiones, pandectas & jus feudale, nec non ejusdem collegii practi-
cis disputatoriis, Examinatoriis & Actorum relatoriis
assidue interfuit, post triennium effluxum sub præsti-
dio Illustr. RIVINI die XV. Novembr. MDCCXLVI. ad
JACOB. FRIDER. LYDOVICI *Doctrin. Pandectarum Tir.*
de bonorum possessionibus, nec non reliquos lib. XXXVII. ti-
tulos publice respondit, confectoque Specimine relatio-
nis ex Actis atque peracto Examine, a Facultate juridi-
ca Lipsiensi, ut in numerum Advocatorum suscipere-
tur, omnino dignus judicatus est, deinde Jurispruden-
tiæ fundamenta theoretice posita praxi consolidaturus
in Patriam civitatemque Friburgensem reversus per lit-
teras supplices a Regimine potentissimi Regis Polon.
ac Electoris Sax. Commissoriale ad præfecturam Fri-
burgensem, ut ad alterum præscriptum specimen pro
praxi conficiendum Acta ibidem ederentur, impetravit,
quo exhibito ad praxin juridicam publice exercendam
ex Speciali Regia gratia admissus est. Quoniam vero,
ut labores suos juridicos suprema laurea coronet, ex
re sua esse existimavit, hinc pro illa obtinenda Acade-
mica nostra adiit castra, & honestam suam intencio-
nem ordini nostro aperuit atque ad certamen Candida-
torum juris rigorosum reliquaque Specimina inaugu-
ralia admitti modeste rogavit; cur petitis a Facultate
nostra annueretur, nil obstat, quapropter textus tam
ex jure canonico, quam civili elaborandos eidem com-
municavit, quos doctè & legaliter enodavit, atque ad
ipsas quæstiones in ipso Examine propositas tam eru-
dite promptèque respondit, ut unanimi consensu su-
prema doctoratus laurea omnino dignus judicatus
proin

proindeque ad edenda reliqua Specimina inauguralia
utpote Lektionem Cursoriam ad L. 40. ff. de Condiſ.
indeb. publice ex cathedra habendam & Diſſertationem
inauguralem

DE

OBLIGATIONE DOMINI

ERGA

VASALLVM

fuerit admiſſus. Ad quos actus ſolennes d. XI. Augu-
ſti in collegio Jctorum majori peragendos, ut Magni-
ficus Dominus Uniuerſitatis noſtræ Reſtor, nec non
reliqui Domini Proceres ac Cives intereſſe dignentur,
officioſe ac amice invitantur, rogantur. Publ. ſub Si-
gillo Facult. Jurid. d. IX. Aug. A. O. R. MDCCL.



Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035

ULB Halle


3


006 771 165



VD 78







18
22

1750, 4

ACVLTA^TIS IVRIDICÆ
DECANVS
**CHRISTOPHORVS
SPITZ, JCVS**

FACVLTA^TIS IVDICIIQVE ELECTORALIS
ALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLI-
NEC NON CIVITATIS CONSVL
de
uiribus conditionum.
L. B. S.

ERFORDIAE,
ANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
ACAD. TYPOGR.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres